

vitam filiae restituendam : colligitur ex eo quod interdum ablegat unam e purgatorio animam ad flagitandam vivorum opem, ut inde accendatur ad juvandas alias; quomodo Turcae mittunt se inde captivos aliquos Christianos in patriam, ut lytrum redemptionis colligant, indeque alii incitentur ad redimendos alios, Petro Ziano Venetor. duce, Taurisini. a. D. 1414. suave ludicrum commenti sunt, ut castellum media urbe peregrinis pellibus valde pretiosis, purpureisque stragulis murorum loco muniretur, ubi ingenuae virgines, quibus locum tuendum destinarant, pro galeis coronas aureas haberent, pro brachiorum tegumentis armillas et ditissima monilia: adolescentes virginibus aequales arcem oppugnarent, missilia poma essent, muscatee auces, rosae, lilia, aliique flores in pilarum speciem conglobati, subitae ad haec rosaceae aquae sparsiones, variaeque alia adornamentorum exquisita genera, Sabel. l. VIII. Ennead. l. Bernard. Scardeon. alii. Hujusmodi spectaculum, sed serium, instituit nobis Deus. Animas purgantes ingenuas et decoras, purgatorii castello a nobis oppugnando inclusas proponit, non ut hastis et scopetis, sed rosariorum globulis, elemosynis, jejuniis, sacrificiis castellum oppugnemus, et nobiles illas animas inde eripiamus. Vicissim vero humani generis et salutis nostrae

hostibus pugna haec vehementer displicet. Ipsi enim sunt quasi fidicines et tibicines illi, qui in puellam velut jam mortuam et desperatam domo Jairi concinunt et conclamant; quia animabus illis caelum, unde ipsi exciderunt, invident, adeoque eas vel omnino extinguere, vel saltem a caelo arceri desiderant: ac licet nihil habeant quod in purgatorio quaerant, illud tamen servare et animabus illic detentis insultare non immerito putantur. Sic enim scribit. Beatus Petrus Damiani, in vita S. Odilonis abb. Cluniacens. visum eremitae cuidam in Sicilia, locum ubi animae purgarentur, auditaque daemonum lamenta et ploratus, conquerentium adversus eos, qui animas illas frequenter eriperent, maxime qui de Cluniacensi monasterio essent. Monuit itaque dici Cluniacensibus ut huic operi vehementer insisterent, quo et daemonibus dolorem gignerent, et gloriam beatificam animabus. Quod ubi factum, S. Odilo abbas ib. diem anniversarium animabus fidelium, proximum post omnium ss. festum instituit, in psalmis, elemosynis et missarum solemnibus peragendum.

Quando igitur hoc certamen Deo tam acceptum, diabolo tam luctuosum, nobis tam gloriosum, animabus tam salutare est, expediamus arma, inchoemus pugnam, expugnemus purgatorium, eripiamus sanctas illas animas, etc.

DOMINICA XXIV ET ULTIMA POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XXIV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat: tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere; sicut enim fulgur exit ab oriente, et parret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. Ubi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur. Et tunc apparebit signum Filii hominis in caelo. Et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum, usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fic discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est aestas: ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis. Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant: caelum et terra transibunt; verba autem mea non praeteribunt.

CONCIONES.

- | | |
|---|----------------|
| I. De persecutione antichristi omnium gravissima. | IX. Documenta. |
| II. Persecutio antichristi a Deo permittenda. | X. Mystera. |
| III. Gravitas peccati unde colligatur. | |
| IV. Penitentia non differenda usque ad finem vitae. | |
| V. Sex asyla protegentia ab ira judicis venturi. | |
| VI. Quibus maxime pertimescendum sit judicium. | |
| VII. Quare crux apparitura in die judicii. | |
| VIII. Ecclesia catholica vera esse Christi Ecclesia demonstratur ex quatuor ejus notis. | |

CONCIONES AUCTARII

- | |
|---|
| I. Dies judicii instar fulguris. |
| II. Judicium terribile reprobis unde? |
| III. Electi similes aquilis. |
| IV. Amari fructus ficus vetitae, seu peccati. |
| V. Documenta ex ficu ad judicii diem pertinentia. |

CONCIO I.

DE PERSECUTIONE ANTICHRISTI OMNIUM GRAVISSIMA.

I. Gravissima erit si consideretur ipse antichristus. — II. Si consideretur ejus præcursor. — III. Si consideretur ejus ductor dæmon. — IV. Si considerentur ejus mores. — V. Si consideretur ejus doctrina. — VI. Si consideretur ipsa ejus persecutio. — VII. Si considerentur ejus exercitus et ministri.

THEMA.

Cum videritis abominationem desolationis, etc.
Matth. XXIV.

Tametsi abominatio desolationis ad litteram ex hic intelligitur, quæ futura erat in excidio Jerosolymæ sub Tito imperatore; tamen eadem sensu allegorico clare repræsentat adventum antichristi, adeo ut aliqui ss. patres ad litteram sic intellexerint. Hinc enim Daniel, qui cap. IX. profanationem templi sub Tito vocavit *abominationem desolationis*, idem etiam, c. XII. antichristum vocavit *abominationem in desolationem*. Nec immerito quia uti prior illa abominatio depopulata est templum et urbem, ita hæc posterior devastabit Ecclesiam et orbem. Unde prior illa abominatio typus et præludium fuit abominationis illius, quam faciet antichristus. Quæ causa esse videtur, cur Christus utramque convolvat, cum ab excidio urbis Jerusalem subito transit ad excidium orbis, quasi unum et idem urbis et orbis excidium foret; quia videlicet typus idem quodammodo est cum antitypo. Porro excidium urbis, quam calamitosum fuerit, vidimus dom. IX. post pent. conc. V. tota. Videndum ergo nunc futurum orbis excidium longe calamitosius. Referemus autem certiora tantum et quæ in ss. litteris continentur aut insinuantur.

I. Gravissima erit hæc persecutio. Primo, si consideremus ipsum tyrannum, antichristum. Nam imprimis erit Judæus juxta omnium opinionem (quia pro Judæorum Messia se venditabit): et juxta communem, ex tribu Dan; siquidem de eo vaticinatum patres volunt Jacob, Genes. XLIX. cum de filio suo Dan dixit: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro*. Deinde, idecirco creditur S. Joannes in commemorandis electis tribuum Israel omisisse tribum Dan, propter antichristum, qui ex ea nascetur et propterea pene omnes Danitæ illi adhaerebunt. Jam vero quis nescit, quantum sit Judæorum in Christianos imprimis odium? Quantas olim tyrannides contra illos exercuerint, cum religio christiana periret? Colet igitur antichristus Judæos,

eorum ritus observabit, eosque sibi devinciet in odium potissimum et vexationem Christianorum: interim tamen et illos decipiet, mentietur se e tribu Juda oriundum, ut facilius persuadeat, se illorum Messiam esse.

Secundo, nascetur humili loco et ex vilibus Judæis. Ideo a Daniele, c. VII. vocatur *cornu parvulum*, quod sensim crescit, quodque non hæreditate, sed fraude regnum obtinebit, Dan. XI. At vero, ut bene quidam dixit: *Asperius nihî est humili, cum surgit in altum*.

Tertio, nomen ejus conficiet numerum 666. ut habetur Apocal. XIII. quod consummatam et triplicatam ejus malitiam indicare videtur. Numerus enim senarius, numerus laboris, sudoris et afflictionis est, juxta id: *Sex diebus operaberis, etc.* Exod. XX. et: *In sex tribulationibus liberabit te*, Job. V.

Quarto, fiet monarcha orbis et omnium imperatorum, qui unquam fuerunt, potentissimus, juxta id Dan. VII. *Ipse potentior erit prioribus*. Pugnabit enim contra decem reges: quorum tres primo superabit, postmodum reliqui septem ei se sponte subjicient, Apoc. XIII. Quantam ergo putamus futuram tyrannidis ejus asperitatem, qui superiorem nullum timebit?

Quinto, sedem suam figet Hierosolymis ibique in templo a se instaurato sedebit, et adorabitur ut Deus, mensibus quadraginta duobus, id est, tribus annis cum dimidio, Apoc. XI.

II. Si consideremus ejus præcursorem (*armigerum* vocat Irenæus, libro V. adv. hæres. cap. XXVIII.) quem habebit, uti Christus habuit Joannem Baptistam. Is erit insignis impostor, de quo legimus, et exponunt Sanctus Ambrosius, in Apocal. c. VIII. Irenæus, loco cit. Apocal. XIII. « *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia agni, et loquebatur sicut draco, et potestatem prioris bestie omnem faciebat in conspectu ejus*. » Hic ergo præco et concionator antichristi, primo, ascendet de terra, quia de terra erit, et terram loquetur ac terrena: secundo, habebit cornua duo similia agni, qui mansuetudinem et innocentiam simulabit, atque ita blandis verbis, et fucata sanctitate auditores suos, velut cornibus feriet ac decipiet: tertio, loquetur sicut draco, quia sub ejus lingua latebit venenum et venenata malitia ac calliditas: quarto, potestatem accipiet faciendi prodigia et miracula sicut ipse antichristus, fucata scilicet et dæmonum arte conficta, idque ex mandato antichristi: quinto, faciet terram et habitantes in ea adorare bestiam primam; quia infinitos propemodum homines terrenarum rerum amantes pervertet, ut adorent

antichristum: sexto, faciet signa magna, etiam ignem descendere de caelo in terram in conspectu hominum, et seducet habitantes in terra propter signa, quæ data sunt ei facere in conspectu bestiarum: septimo, dicet habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestie, id est, statuas et simulacra antichristi eaque adorent: octavo, dabit spiritum imagini bestie, id est, antichristi, ut loquatur operatione dæmonis, quemadmodum dæmon olim fecit responsa dare idola, et faciet, ut quicumque non adoraverint imaginem bestie, occidantur: nono, faciet omnes, pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos habere characterem bestie in dextera manu sua, aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habuerit characterem aut nomen bestie aut numerum nominis ejus.

III. Si consideremus ejus ductorem, consultorem et magistrum dæmonem, qui tunc cum tota sua cohorte solvetur e carcere, et exhibit atque seducet gentes, ut ait Joannes, Apocal. XX. Imprimis vero utetur antichristo velut organo aptissimo, cui immittet omnem plenitudinem malitiae; sicut Spiritus sanctus Christo contulit omnem plenitudinem divinitatis et virtutis. Sic enim de eo scribit apostolus, II. Thessal. II. cum ait: *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute (id est, potentia), et signis et prodigiis mendacibus, q. d. in ejus adventu Satanæ operabitur, et exeret omnem suam potentiam, faciendo ejus complexionem ad omnia vitia propensissimam, instituendo eum a puero ad omne malum, et in virili ætate operando per ipsam omnem nequitiam, edendo portentamendacia, per astutiam et fraudes, minas et terrores, munera et illecebras homines decipiendo*. Nam quemadmodum Christus mundum ad se traxit triplici funiculo, promissione regni celestis, minis damnationis, sermone miraculis confirmato: sic dæmon per antichristum velut aptissimum suum triplici illo fune trahet ad se homines. Primo, munerum exhibitione et variarum illecebrarum propositione; nam auri thesauros passim absconditos exhibebunt ei dæmones, qui in hunc finem eos custodire putantur, uti cuidam ariolo respondisse dæmonem scribit Laurent. Ananias, l. II. de natura dæmon. Accedit Daniel, cap. XI. dicens: *Et dominabitur thesaurorum auri et argenti et in omnibus pretiosis Ægypti*. Secundo, mendacibus verbis et prodigiis, adeo tamen apparentibus, ut teste Salvatore, sufficere possent ad electos etiam, si fieri posset, in errorem inducendos. Olim certe licet martyres varia tormenta paterentur, ipsi tamen inte-

rim miracula faciebant: sed tunc ipse carnifex et antichristus faciet miracula, et martyr patietur. Unde S. Gregorius, lib. XXXIII. moral. c. XII. ait: *Quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante oculos ejus tortor miracula facit? Tertio, vi, armis et cruciatibus*.

IV. Si consideremus ejus mores. Erit enim perditissimus omnium mortalium: unde II. Thessal. II. appellatur ab apostolo: *Homo peccati et filius perditionis, et ille iniquus*. Nam primo, erit magus, et habebit dæmonem familiarem, Maozim nomine, (Dan. XI.) qui eum avertet ab omni bono, et ad omnia vitia suasionibus suis pertrahet: secundo, erit impudens facie, (Dan. VIII.) ita ut se præ omnibus diis coli velit: rursus, atheus et blasphemus in Deum, Daniel. XI. *Faciet juxta voluntatem suam rex, id est, antichristus et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum: et adversus Deum deorum loquetur magnifica, (id est, verba superba) et Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget*. Colet tamen suum Maozim, licet occulte tantum: et Apoc. XIII. *Et aperuit os suum in blasphemiam ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos, qui in caelo habitant: et II. Thessal. II. Extolitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, etc.* quarto, erit tyrannus crudelissimus maxime in Christianos, Apoc. XIII. ubi dicitur: *Hæc est patientia et fides sanctorum: et iterum: Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos, videlicet cruciatibus, ut vel pervertantur, vel saltem moriantur: quinto, erit hypoerita, et initio quidem simulabit se valde humanum, castum, benignum, pium, legis Moysis zelatorem, ut pelliat ad se Judæos et persuadeat Messiam esse; in pectore tamen virus geret, et hostis omnium virtutum erit: totus proinde politicus, ut post videbitur, cum rerum potitus fuerit; eritque inter alia etiam: *In concupiscentiis feminarum*, ait Daniel, c. XI. id est, libidini serviens, qui tamen prius castum se simulabit: unde merito a Joanne bestia vocatur, id est, more bestiarum vivens libidinose.*

V. Si consideremus ejus doctrinam, quæ doctrinæ Christi tota erit contraria. Primo enim, Christum Dominum nostrum et omnia sacra christiana abneganda et abjicienda esse docebit, veluti meram et vanam superstitionem: ideo enim antichristus dicitur, I. Joan. II.

Secundo, legem judaicam servari volet initio, quoad Judæos ad se trahat, Joan. V.

Tertio, factus monarcha, legem etiam Moysis

et naturæ abjiciet, sacraque festa abolebit : unde dicitur Dan. VII. *Putabit, quod possit mutare leges et tempora.*

Quarto, suam sectam inducet, quæ est atheismus et omnimoda carnis et vitiorum libertas ad peccandum impune et absque omni pudore. Ad hoc enim imprimet sectatoribus suis characterem in fronte vel manu dextera, Apoc. XIII. in fronte quidem, quia fidei et vitæ christianæ professionem abolebit, et ejus loco dabit licentiam peccandi absque omni verecundia : in manu vero quia et bona opera tollet, et vetabit, ne quis se consignet sanctæ crucis signo, utpote sibi infesto.

Quinto, volet ut Deus coli, et proinde adorari, sacrificiis honorari, aris, templis, etc.

VI. Si consideremus ipsam persecutionem, quæ erit extrema et qualis non fuit ab origine mundi, ut habetur in hodierno evangelio. Nam primo, coget homines abnegare Christum et sacra omnia, ipsum vero confiteri : et in hunc finem consignabit eos characterem, id est, imagine vel nomine suo impresso, ita ut nemo possit quidquam vendere aut emere, nisi qui habuerit characterem illum, Apoc. I. Julianus apostata aliquando vexavit Christianos fontibus pollutis et omnibus esculentis aqua lustrali idololatriæ aspersione (apud Baron. ann. 361.) sed longe superat, non posse emere aut vendere, nisi accepto bestię characterem.

Secundo, auferet sacrificium altaris ita ut publice quidem cessaturus sit ejus usus, nec nisi in occulto celebrari queat. Vult enim omnem sacratissimæ passionis Christi memoriam abolere, omniaque Christianorum spiritualia præsidia, quorum præstantissimum est eucharistia, tollere, suumque solis cultum invehere. Ita legitur, Dan. XII. *A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem* (id est, ipse antichristus quasi idolum in destructionem omnis boni) *dies mille ducenti nonaginta, id est, tres anni cum dimidio.*

Tertio, sanctos altissimi conteret, Dan. VII. Henoch et Eliam contra antichristum docentes et prædicantes occidet aliosque Christianos, Apoc. XI. Corpora Henoch et Eliæ Jerosolymæ in plateis jacebunt insepulta per tres dies cum dimidio, post quos reviviscunt et resurgent, et mox audietur vox de cælo, dicens : *Ascendite huc*, et statim tota urbe spectante ascendunt in cælum, ut habetur ibid. Deinceps post triginta dies antichristus cum suo præcursore detrudetur et rapietur in tartara, ut scribitur Apoc. XIX. Porro acerbitas ultimæ illius persecutionis notatur etiam Apoc. I. ubi Joanni apparuit

Christus habens pedes similes aurichalco sicut in camino ardenti : quia scilicet novissimi temporis fideles (repræsentati per Christi pedes) vehementissimam omnium persecutionem sustinebunt, et velut aurichalcum copiosissimo igne persecutionis cremabuntur : nec mirum, quia non contra homines sed contra dæmonem omnes suas exerentem vires, pugnare debebunt.

VII. Si consideremus ministros et exercitum. Hic primo erit Gog et Magog, Apoc. XX. et Ezech. XXXVIII. hoc est, exercitus ferus, barbarus et crudelis ex Scythis, Turcis, barbaris collectus, venturus ex aquilone, exercitus vehementis.

Secundo, erit maximus instar arenæ maris, Apoc. XX. et Ezech. XXXIX. tantus, ut postquam is occidetur, occisorum arma ad comburendum pro lignis sufficere possint septem annis toti Israeli.

Tertio, veniet ad antichristum in Jerusalem, ut in ea et circumjacente Judæa Christianos, qui eo confluent ad prædicationem Henoch et Eliæ, debeat, Apoc. XX. sed ibi ab igne cœlitum lapso consumetur, etc. Apoc. XX. Ezech. XXXVIII. Hæc sunt, auditores, quæ de ultima illa et acerrima persecutione produnt ss. litteræ; sed inquiet aliquis, quid hæc ad nos? Non prorsus nihil. Nam primo, quis scit, annon pars saltem aliqua illius tribulationis nos expectat? Secundo, habemus, cur Deo gratias agamus, et vitam emendemus qui illas non videbimus. Tertio, si talis tribulatio nunc veniat super innocentes, num Deus parcat peccatis nostris? Melius et suavius est hic tribulari, quam ibi. Denique, habemus, cur tanto inculpatius vivamus et sanctius, quia non habemus tam acres hostes, qui nos a pietate et fide christiana absterreant.

CONCIO II.

PERSECUTIO ANTICHRISTI CUR A DEO PERMITTENDA.

I. Ob Judæorum pertinaciam. — II. Ob peccata mundi gravissima. — III. Ad Christi gloriam. — IV. Ad bonum electorum. — V. Ad nostram instructionem.

THEMA.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

Matth. XXIV.

Bene ss. patres Ecclesiam comparant navi. Nam ut alia præteream, quemadmodum navis in medio latior, in prora et puppi angustior est :

ita et Ecclesia in sui quidem exordio graves passa est angustias a Judæis et tyrannis; postea sub regibus et principibus christianis terra marique prolata, opibus et honoribus aucta ambulavit in latitudine; tandem in fine mundi rursus in angustiam et pressuram maximam, qualis non fuit ab initio mundi nec erit, deveniet. Et quid mirum hoc evenire Ecclesiæ, quod nobis omnibus evenit? Nascimur enim angustia: postea dilatamur: et rursus morimur cum angustia. Prima nostra domus angustissimus matris uterus est: deinde, amplum aliquod ædificium: deinde, locus et tumulus. In infantia coaretamur et cuni adhæremus: postea dilatamur, discurremus, expatiamur: ad extremum in senectute rursus contrahimur et lectulo affigimur. Eadem igitur sors matris est, quæ et filiorum: Ecclesiæ, quæ nostra. At vero quia audimus dictum a Christo Domino, tribulationem illam ultimam tam acerbam fore, ut similem nec habuerit nec post habitura sit, scire cupiet non nemo, ad quod eam tribulationem Deus permissurus sit. Cur quæstioni nunc aliquid respondebimus.

I. Ob Judæorum pertinaciam, qua Christum noluerunt recipere. Id enim indicat Christus, Joan. V. cum ait illis: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis*, hoc est, antichristum, uti passim intelligunt patres. Et clarius adhuc apostolus, II. Thessal. II. cum de antechristo loquens, ait: «*Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*» Non quod Deus velit Judæos inducere in errorem et mendacium, sed primo, quod promeruerint justissimam hanc pœnam, ut sinat grassari in eos diabolus et antichristum fraudibus et mendaciis quibus decipiantur. Quia enim tanto tempore dilexerunt tenebras magis quam lucem, ideo laxabit habenas tenebrionibus, a quibus seducentur. Ita enim et Achab, qui noluit audire Michæam prophetantem sibi bonum et verum, traditus est spiritui mendaci, qui deciperet illum in ore pseudoprophetarum. Hujus igitur mendacio et deceptione ad bellum eductus perit, III. Reg. XXII.

Secundo, ad coarguendam illorum malignitatem, quod Christi vera miracula, veram doctrinam, veram et sanctam vitam amplecti noluerint, sed e contra falsa antichristi miracula, falsam doctrinam, et vitam impiam amplexi sint. Hac ratione Pilatus sciens quod per invidiam tradidissent Judæi Christum, statuit insingnem latronem juxta eum, ut liberum peterent

quem vellent, Matth. XXVII. et quia Barabbam petierunt, manifeste apparuit illorum malignitas, qui quemvis potius liberum, licet nequissimum, mallent, quam Christum. Eadem Judæorum malignitas apparebit tempore antichristi, cum repudiato Messia, nebulonem recipient omnium pessimum. Quis non arguat Judæos malitiæ et invidiæ, quod (ut eosdem arguit et Sanctus Petrus, Act. III.) virum homicidam petierunt donari sibi; auctorem vero vitæ interfecerunt. Ita arguemur perversæ malignitatis in Christum, cum antichristum recepturi sunt. Unde S. Hieronymus ait illam Barabbæ electionem significasse hanc alteram, qua antichristum aliquando recipiunt, Christo repudiato.

II. Ob peccata mundi gravissima. Nam Deus: *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, ait Job, c. XXXIV. et de antichristo, utpote insigni hypocrita intelligit S. Greg. eo loco: et Dan. VIII. *Cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie*. Primo quidem Antiochus: deinde antichristus, cujus ille typus fuit: *Abundabit enim tunc iniquitas, et refrigescet charitas multorum*, ait Dominus. Nimirum quanto magis invalescunt liberorum vitia, tanto acerbiorum virgam adhibet illis pater. Ita cum sub Philippo I. imperatore christiano, fides et religio Christianorum tepesceret, vitia increbrescerent, misit illis Deus dirissimam Decii persecutionem, uti S. Cypr. testatur in l. de lapsis: «*Quia traditam nobis divinitus disciplinam, inquit, pax longa corruerat; jacentem fidem et pene dixerim dormientem, censura cœlestis erexit.*» At vero si jacere ac dormire cœperat fides, cum adhuc esset juvenis, 250. scilicet annorum: quid fiet cum decrepita erit in fine mundi? Itaque necesse erit ut tanto severior adhibeatur virga dormientibus tunc hominibus; quod profundius dormituri sunt. Scimus in parabola cœnæ magnæ, Dominum misisse servum ultimum, qui ignotos et circa sepes ac vias sedentes compelleret intrare, Luc. XIV. Ejusmodi igitur servis multis, saltem hominibus, erit extrema illa tribulatio et pressura gentium. Nam: *Mala quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt*, ait Sanctus Gregorius, homil. XXXVI. in evang.

III. Ad Christi gloriam, ut pateat quanta sit efficacia gratiæ ejus in iis, qui antichristo resistent. Per passionem Christi ligatus fuit dæmon in inferno quasi in carcere, ut latrare posset, mordere omnino non posset, nisi qui se temere illi conjunxerint. At in fine mundi solvetur dæmon e carcere illo, ut ait S. Joannes, Apoc. XX. et acrius tentabit homines, ut pateat quanta sit Christi et Ecclesiæ ejus fortitudo, etiam in no-